

more *primum* dixisse Saturnum, non ante quem nemo, sed *principem*, ut:

Aen. 1, 1 *Troiae qui primus ab oris.*

5 Cum procul dubio constet ante Aeneam priorem Antenorem in Italiam esse pervectum eumque non in 5 ora litori proxima, sed in interioribus locis, id est Illyrico, urbem Patavium condidisse, ut quidem idem supradictus Vergilius illis versibus ex persona Veneris apud Iovem de aerumnis Aeneae sui conquerentis:

Aen. 1, 242 *Antenor potuit mediis elapsus Achivis* 10
Illyricos penetrare sinus atque intima tutus cet.

- 6 Quare autem addiderit *tutus*, suo loco plenissime annotavimus in commentatione, quam hoc scribere coepimus, cognita ex libro, qui inscriptus est *De Origine*
 Patavina. Itaque nunc *primus* ex ea quoque signifi- 15 catione est, e qua illud etiam in secundo Aeneidos
 de enumeratione eorum, qui equo durio degrediebantur. Nam cum nominasset Thessandrum, Sthenelum, Ulixem, Acamanta, Thoanta, Neoptoleum, post intulit: *primusque Machaon*. De quo quaeri potest: Quo- 20 modo potest *primus* dici, post tantos, qui supra dicti sunt? Verum intelligemus *primum* pro principe, vel quia is ad perfectum illis temporibus circa peritiam medicae artis praecipuus fuisse traditur.
- 2 Sed ut ad propositum revertamur, ferunt Creusam 25 Erechthei regis Atheniensium filiam speciosissimam stupratam ab Apolline enisam puerum, eumque Delphos olim educandum esse missum; ipsam vero a patre istarum rerum in scio Xutho cuidam comiti col-
 locatam. Ex qua cum ille pater non posset existere, 30